# ANALECTA

DE

# Aqua pura therapeutice adhibenda.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

EX AUTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA - GUILELMIA RHENANA

PRO GRADU DOCTORIS

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE

RITE CAPESSENDO

SCRIPSIT

ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE 7. MENSIS AUGUSTI 11. HORA

PUBLICE DEFENDET

**Carolus Binz**

MOSELLANUS.

AMICIS OPPONENTIBUS:

P. KILIAN, Med. Dd.
B. FREISE, Med. Dd.
F. A. KOCHS, Med. Cand.

**BONNAE.**

TYPIS C. KRÜGER.

1855.

„Simplex veri sigillum."
(Boerhave.)

Eadem aquae, si ad sanandos morbos ea utimur, quae ceterorum remediorum vis. Partim enim mediate partim immediate permutans explicationem pathologicam quae patet ex organismo, efficit, ut regrediatur processus pathologicus ad statum physiologicum.

Quod quum nequaquam perfici possit nisi vi aliqua, ut ita dicam illata legibus, quibus continetur vita animalis et vegetativa, atque saepissime coacti simus, ut quae velimus consequamur, talia in organismum inducere corpora quae ad magnam partem non solum abhorreant ab eius natura, sed etiam ei quam pestifera sint: consentaneum est, ea praestantissima iudicanda esse remedia, quae maxime coniuncta cum corpore optimum exhibeant eventum.

Iam vero si hoc spectamus, inter nutrimenta quotidiano usui necessaria eam materiam ex qua constant 80 corporis partes, primum locum obtinere consentaneum est. Neque vero in animum induximus, illam sanandi arti disciplinam quam Hydrotherapiam vocant, accurata pertractare diiudicatione nec caecam eius venerationem defendere: idem enim de ea quod de quavis recenti medendi doctrina existimantes putamus, ab alteris nimis laudibus elatam ab alteris parum intellectam probatamque eam medicis prudenter optimum quidque eligentibus multa afferre quae adiiciant generalium suarum observationum thesauro. —

Itaque hoc tantum sequimur, ut aquam sub diversissimis formis calorisque gradibus ut remedium accedens ad alios rationales curandi modos examinemus usumque eius in nonnullis morbis qui sese obiiciant medico in exercenda medicina, cautae subiiciamus diiudicationi. —

## De aqua remedio antiphlogistico.

Primum inter pathologiae therapiaeque praecepta locum doctrinam curationemque inflammationis obtinere iam satis constat. Non solum enim specimen quasi praebet uniuscuiusque morborum explicationis, sed ea simul diversissimarum corporis partium est affectio quae saepissime occurrens observanti maximam eius atque fortissimam diligentiam requirat. Qua ratione aquam sub diversis formis adhibitam irreparabile remedium medico afferre videmus. Iam satis enim constat, frigidae aquae potionem statim cordis palpitationum numerum ac vim corporisque calorem deminuere, [1]) ex quo interiorem eius usum in omnibus morbis, qui cum febribus acutis sunt coniuncti, elucere videmus; neque in externo usu in inflammationibus mere traumaticis praestantius reperias antiphlogisticum aqua sub fomentorum forma cum glacie admissa.

Primum igitur aqua ad membra frigore gelantia sananda per balneas frigidas lavationesque adhibita optimo utimur eventu. [2]) Deinde in omnibus Encephalitidis [3]) et Meningitidis formis omnique cerebri irritatione quae

1) Cf. Hamernik, in Canstatts Jahresbericht. 3. Bd. 1854. p. 236.

2) Cf. de aqua, sub forma frigoris humidi et caloris humidi in hoc aliisque processibus inflammatoriis adhibenda, librum excellentem: Kern, Leistungen der chir. Klin. zu Wien. Wien 1828. p. 15 seq. seq. Nullo modo negari potest, maxime de chirurgia illum autorem esse meritum, quum primus unguentis emplastrisque obsoletis et abusitatis aquam simpliciorem substituerit.

3) Cf. Romberg, Klinische Ergebnisse. Berlin 1846. p. 34.

nititur sanguinis congestione ossiumque calvariae fracturis, aqua sub forma glacici bullis circumdatae capiti prorsus tonso imposita inter praestantissima numeranda est antiphlogistica. Tum in interiorum organorum membranarumque inflammationibus, ut in Angina tonsillari, Peritonitide, Hepatitide, Enteritide, Catarrho ventriculi etc. etc. simul derivat aqua simulque mitigat statum orgasticum.[1])

Qua de aquae vi hancce morbi narrationem afferre liceat, quae optime illius simplicis remedii effectum nos docet:[2])

Aegrotus igitur quidam qui gravissima laborabat Enteritide, post venaesectiones emplastrumque Cantharidum adhibita in dies peior factus summo in discrimine versabatur. Avidissime aquae desiderio flagrabat. Itaque quum tepida aqua pedes eius lavarentur, duae ordinatae sunt unciae, quas avidissime devoratas mox vomitu eiecit. Haud multo temporis post quatuor unciis immissis tremulans arteriarum motus pulsum indicare videbatur. Huius quoque potionis aliquam partem evomuit. Exiguo temporis spatio intermisso aegrotus denuo aquam frigidam postulavit scyphumque sextarium continentem uno haustu exsiccavit. Actutum fere Arteriae radiales remicare coeperunt. Semel atque iterum edito vomitu torminibusque vehementibus non longinquis in dextero inguine exortis, aegrotus post dimidiam horae partem alterum exsiccavit sextarium. Extemplo audiebantur ventris sonus, quos continuo secuta est deiectio intestinorum fortuita et ampla et fluens cum multis ventris crepitibus coniuncta. Simul ex superiore corporis parte ingens sudor eripuit.

Quum in altero casu Enteritidis aegrotus omnia eiiceret, Smith abdomen linteis in aquam frigidam immersis detegi

1) Cf. Oesterlen, Heilmittellehre, Tübingen 1851. p. 832. seq. Hornstein, Bemerkungen über die Hirnwuth. Giessen 1792.
2) R. Smith, Edinb. med. and surgic. Journal. IX. p. 287—299.

eaque, quotiescunque calefacta sunt, renovari iussit. Qua re quum dolores paulo mitigarentur, aegrotus e lecto sublatus immoque ventre usque ad pectus nudato a duobus ministris adiutus est. Deinde alvus, crura femoraque nonnullis aquae frigidae situlis perfusa sunt. Qua perfusione quater repetita mirum est, quantum vires refici doloresque ac calor internus exstingui coeperint. Frigidae perfusiones, ubi primum aegrotus ab iis abhorruit, intermissae sunt. Ultimam vero perfusionem foetens durisque stercoris nodis intermixta alvi exinanitio secuta est simulque urina magna vi profluit. Aqua frigida sub forma potionis continuo adhibita frigidisque abdomini impositis fomentis, sanitas plane est restituta.

Quibus in morbis supra commemoratis, quod in illis morborum narrationibus iam indicavimus, Priessnitzii fomenta undique commendari legimus quae per lintei mediocriter expressi formam parti laboranti iniuncta pannisque aridis detecta imposita manent, donec calefacta cutem ad vehementem sudoris profusionem irritent. Tum redintegrata et derivant morbi processum et mitigant organorum statum orgasticum. Quam sanandi rationem praecipue adhibendam esse censemus in membranarum serosarum exsudationibus, quum per eam immediate avertamus dolorem neque aegrotum exponamus vi utique debilitanti remediorum diureticorum. —

Maxime de arte sanandi sunt meriti viri scholae hydrotherapeuticae, quod aquam praestantissimum remedium in nonnullis morbis atrocibus nos docuerunt. Medici enim veteres, quum aquae frigidae effectu inflammationem quae ex frigore humido exorta esset, augeri crederent, semper valde timuerunt, ne aquam ad removendas inflammationes rheumaticas adhiberent. Quanquam veri aliquid rei inesse nobis maxime est consentaneum, tamen maiis in adhibendo

1) Cf. Richter, Organon der physiologischen Therapie. Leipzig. 1850. p. 325. Oesterlen, l. c. p. 832. Guérard, Journal des connais. méd. et chir. Sept. 1848.

remedio quam in remedio ipso causam effectuum infestorum sitam esse nos quidem putamus. Optimis enim opus est cautionibus, accurata rerum cognitione, excellentissima aegroti curatione, si tam vehementi remedio, ut est frigus humidum in morbis acutis, uti nobis est propositum. Quae omnia vero proh dolor in nosocomiis tantum fieri posse in prompto est; sed certe quidem ea fieri posse clarissimo modo ill. Kilian nos docet, cuius de hac re praecipua verba, ne in aliam linguam reddita diminuerentur immutata afferimus. [1])

1) Kilian, Ueber geburtshilfliches Studium. Bonn 1846. p. 66. „Das andere der von uns versuchten Mittel ist das kalte Wasser, nach der hydropathischen Methode in Anwendung gebracht. Ein Zufall leitete uns zu dem Beobachteten. Nachdem wir nämlich in unserm Institute, dessen sonst ganz ausgezeichnete Räumlichkeit von oft heftigem Zuge nicht abzusperren ist, bei den dadurch entstandenen oft sehr schmerzhaften rheumatischen Affectionen einzelner Gelenke, besonders der Extremitäten, die wirksamsten Heilweisen nur sehr zögernd und unter bedeutenden Kosten zum Ziele führend fanden, entschlossen wir uns zu einen Versuch mit der Wasserheilmethode. Wir benutzten streng nach den Regeln die Einwicklungen des ganzen Körpers erst in nasse kalte Tücher, dann in wollene Decken, liessen kaltes Wasser trinken etc. und sahen nach den rasch erfolgenden, merkwürdig profusen Schweissen, welche von dem Gefühle höchster Behaglichkeit begleitet waren, und während welcher wir die vorschriftsmässige kalte Waschung vornehmen liessen, jedesmal die auffallendste Besserung und in der Regel schon nach zwei Tagen solch einen erwünschten Zustand, wie wir ihn bei einer andern Behandlung nur höchst selten in ebensoviel Wochen zu erreichen vermochten. In allen der auf diese Weise geleiteten Fällen sahen wir, wenn der Zeitpunkt der Geburt heranrückte, bei einer ganz auffallend kräftigen Wehenthätigkeit stets den glücklichsten Verlauf, einmal aber, als wir bei einer von rheumatischen Schmerzen schwer Heimgesuchten, bei welcher sich bereits beginnende Uterinalthätigkeit, doch in auffallend krampfhafter Stimmung zeigte, noch ein letztes Mal die Einwickelung machen liessen, konnten wir, als die Transspiration erfolgte, nicht schnell genug die Hüllen wegnehmen lassen, damit nicht noch innerhalb derselben das kräftige Kind geboren werden möge. Hierdurch ermuthigt, versuchten wir endlich die Einwickelungen mit ihrem Gefolge bloss in der Absicht, hartnäckige Krampfwehen, namentlich aber solche zu bekämpfen, die im Verein mit rheumatischer Affection oder Ueberfüllung des Gefässsystems auftraten und gewannen dabei so achtenswerthe und schnelle Ergebnisse, dass wir jedem Arzt, dem es die Verhältnisse irgend gestatten, diese Behandlungsweise in ihrer richtigen

Eadem quae Kiliani de aquae frigidae in Rheumatismo acuto usu ceterorum quoque optimorum autorum sententia, quare nonnullos medicos non pietatem rerum antiquarum solam exercere dicimus, quum semper et strenue pugnent contra frigus in Rheumatismo adhibendum. Quamquam iam hoc agere coeperunt, quum ubique fere in Erysipelatis simplicis morbo curando frigoris usum, quem Brandis iam commendavit, [1]) adhibeant. Nosmet ipsi quoniam saepius optimum eventum hanc medendi rationem sequi vidimus, omnino a veterum sententia, metastases fieri in Meningites, revocati sumus. Neque vero desunt recentes et ii quidem graves autores, [2]) qui a frigore in Erysipelate valde abhorrent, quibus tamen in iis singulis tantum casibus assentiri coacti sumus, ubi fortuito cum illo morbo Meningitis sese coniunxit. Maxime vero nobis probari posse videtur, saepissime in iis casibus autores usitatam illam conclusionem „post hoc, ergo propter hoc“ adhibuisse.

Iam vero maius argumentum ad repulsandam veterem doctrinam quae aquam in inflammationibus rheumaticis vitare praecipit, praeclarus ille eventus praebere videtur quem haud raro apud Malum ischiadicum, postquam omnia et praestantissima ipsa remedia nos reliquerunt, frigore continuo adhibito consequimur. Nosmet ipsi vidimus Ischiadem vehementem rheumatica causa exortam in homine ob omni dyscrasiae genere liberum, quum omnibus remediis immo laudato Ol. therebinth. restiterit, aquae frigidae effectu sensim esse exstinctam.

Iam nostra aetate nonnulli aquae usus partim primo indicati, partim redintegrati sunt qui quamvis sint exigui medico practico haud ingratum Antiphlogisticorum augmen-

Form zur Anwendung zu bringen, angelegentlich hiermit zu mahnen wünschen, derselben das Recht eines an Aussichten reichen Experimentes zu gönnen.“ —

1) Brandis, Erfahrungen über die Anwendungen der Kälte. Berlin 1833. p. 31.

2) Canstatt, Spez. Path. und Therap. Erlangen 1847. 2. Bd. p. 255.

tum adiicere videantur. Afferre enim liceat primum Gonorrhoeae, morbi illius severantissimi quem ill. Cooper patientiam medici optimi defatigare posse affirmat,[1] per aquam frigidam curationem. Quam ad curationem perficiendam haec praecepta commendat Niddrie[2]: Aegrotum Gonorrhoea implicitum severa vivendi ratione obstrictum in lectulo se continere iubet primoque die eum recipere remedium laxans salinarium, ad potionem Semen lini cum Nitri aliqua parte; deinde per singula horae dimidia frigidae aquae iniectiones biduum continuandas, tertio die solutionem Zinc. sulf. gr. II. in Aq. unc. I. adhibendum commendat. Quibus remediis adhibitis Gonorrhoeam se radicitus exstinxisse affirmat. Multum re vera in sanandi arte progressi essemus, si malo quo non paucos et optimis quidem remediis frustra adhibitis tamdiu laborare videmus, tam celeriter mederi possemus; sed hac de re tamdiu nos dubitare profitemur, donec aliquando eam curandi rationem adhibitam probari viderimus. Quanam ex causa Niddrie tale Antiphlogisticum ut Kali nitricum in morbo Urethrae commendat, quoniam illud remedium in omnibus morbis qui patent ex systemate uropoëtico, ex rationibus bene cognitis est interdictum.[3])

Alterum aquae frigidae sub glaciei forma admissae usum Hebra indicat.[4]) Repulit enim permagnum frigus — admodum 15.° R. — quod permiscens duas glaciei partes cum una Chlornatrii composuerat et in sacco aquam haud transmittenti imposuerat, nonnunquam Eczemata idque remedium in Furunculis magnopere auctis commendavit, quod non solum morbi explicationem accelerarct sed dolorem etiam removeret.

1) A. Cooper, Vorlesungen über Chirurgie. Aus d. Engl. von Burchard. Erlangen 1845. p. 35.
2) Niddrie, Lancet. 1852. p. 15.
3) Cf. Pereira, Handbuch der Heilmittellehre. Leipzig 1846. 1. Bd. p. 483. Sobernheim, Praktische Arzneimittellehre. Berlin 1847. p. 237.
4) Zeitschrift d. Gesellsch. d. Aerzte in Wien. 6. Jahrg. Mai. p. 65.

Iam verisimillimum est, summis illis frigoris gradibus si continuo admoveamus frigus, non opus esse, sed iam glaciei efficacia continuo adhibita quod nos quidem pro certo habeamus in Eczemate, Furunculis ceterisque eiusdem generis morbis bonum eventum excitari videtur, quoniam sanguine recluso ab inflammationis foco, id quod praecipue frigore adhibito consequimur, reliqua inflammationis explicatio exstinguatur necesse est. Attamen iam Eczema impetiginosum longinquo frigidorum fomentorum usui resistere et denique solutione Kal. caustici reprimi vidimus.

Quibus omnibus quae attulimus exemplis aquam immediatum Antiphlogisticum esse cognovimus. Recentiore tempore Burggraeve alium eius usum indicat, quo aquam praestantissimum Antiphlogisticum, ut ita dicam, praecavens nobis afferre demonstratur. B. enim ita dicit[1]: „— — Wir verwenden unsere ganze Sorgfalt darauf, der Entzündung vorzubeugen. Handelt es sich um eine Wunde der Finger oder der Hand, wobei die Gelenke geöffnet und die Sehnen blossgelegt sind, wie dieselben fast täglich zu unserer Behandlung kommen, so excidiren wir die Theile, die nur noch an einigen Fasern haften, bringen die übrigen Theile so genau als möglich in ihre Lage zurück und erhalten sie durch Ceratstreifen. Darauf umgeben wir die Extremität mit einem weichen Verband und tauchen sie fünf, sechs, selbst neun Tage hindurch in ein Bad von frischen Wasser, wobei wir nicht die Wirkung der Kälte im Auge haben, sondern vielmehr den gefürchtetsten Gegner der Wunden, die Luft, abzuhalten und unschädlich zu machen beabsichtigen. Sobald die Wuude anfängt, Granulationen zu bilden, umgeben wir dle getrennten Theile mit einer Hülle, die wir aus Schienen und Heftpflasterstreifen construiren, und

1) Burggraeve, (Ravoth und Vocke) Chirurgische Klinik. Berl. 1852. p. 473 und 493. Cf. eiusd. Le Génie de la Chirurg. Gand. 1853. p. 121. seq.

warten die Exfoliation der Theile ab, die sich nicht anlöthen können."

Affert deinde B. de curationibus commentarios ex quibus multos aegrotos membris contusis articulisque apertis ad hancce methodum optimo eventu curatos esse elucet. Quam methodum illico ut prorsus rationialem laudabilemque et defenderemus et acciperemus, nisi medendi artis historia innumerabilia nobis afferret exempla, ex quibus multas curandi methodos maiorem in modum laudatas accurata facta diiudicatione quam indignissimas laude inveniri eluceret. Itaque priusquam probata est methodus illa a Germaniae sagacissimis chirurgis, moderatas quasdam dubitationes afferre liceat. Nonne enim fieri possit, ut aquae frigidae algor prohibeat, quominus sanguis accedat ad vulnus coniungendum itaque maceret aqua frigusque illas telarum partes solute modo membro adhaerentes atque hoc modo necrosi eas obiiciat, vel ut immediata aquae frigidae in apertos nervorum ramos efficacia Trismum et Tetanum possit adducere? —

Ceterum aërem a vulnere facile ea ratione, qua uti solet ill. Wutzer, arceri posse putamus, qui partibus apte coarctatis Ichtyocallae tegumentum inducit, superfuso insuper crasso Collodii strato. — Qua occasione data nobis liceat praecipue in ea periculorum genera quae sequuntur saepius quosdam aquae frigidae usus, cogitationes intendere, — indicamus enim frigida contra ossium fracturas adhibita fomenta. Per breve enim temporis spatium, dum intersumus scholis medicinis, ter oblata occasione sub medicorum practicorum auspiciis immoderatu continuoque frigoris humidi usu in membris fractura affectis Gangraenam esse exortam vidimus. Quorum infestorum casuum primum cita aegroti excruciati mors, alterum cruris amputatio est secuta, in tertio fortissima tantum opera sanatio est adducta.

Prorsus, quae est experientia nostra sub ill. Wutzeri

auspiciis comparata cum Burggraevio consentimus, qui repellit eodem naturali modo ut W. aquae frigidae usum in fracturis, pro eo substituens vincturas ex sagena (Watte) factas. [1]) Cuius doctrinae argumenta quam evidentissima sunt. Calli enim formatio telae organicae est regeneratio atque requirit absolute calorem quem frigidis fomentis nullo modo accelerari posse consentaneum est. Deinde frigoris usum quam maxime dolorem augere necesse est, quum humoribus ad interiores partes, id est ad fracturam, contractis, nullo modo dolor mitigetur. Qua de causa repositis ossium fragmentis vinculum ex sagena factum cum ferulis imponamus membroque laboranti necessariam optimo situ damus quietem.

Pariter frigus humidum in Arthridite haud bene adhibendum videtur, quanquam nonnulli Hydrotherapiam sequentes se eo optimo cum eventu usos esse profitentur. Quum vero hac de re perpauca tantum probata habeamus, eam in medio relinquendam statuamus. Hoc tantum pro certo affirmari potest, non facile intelligi posse, quanam ratione inflammationes arthriticae acute insistentes, quum universam sanguinis affectionem indicent, frigore radicitus possint exstingui, vel hoc facto qualem quantamque haec curatio aegroto afferat utilitatem.

## De aqua remedio sedanti.

Ad varium aquae in casibus phlogisticis usum accedit vis eius affinis, qua remedium sedans sub certis conditionibus Narcoticorum simile se praebet.

In nosocomiis enim hydrotherapeuticis in diversissimis irritationum generibus lege artis eam adhiberi scimus, medicique illi, qui talibus nosocomiis praesunt, optimum hanc curandi

1) Burggraeve, l. c. p. 328.

rationem eventum sequi confitentur.[1]) Quem quidem usum quum medicus practicus adhibere non posse liqueat, haud raro tamen sub leviore forma ad varia viritationum mala curanda aqua uti potest.

Cuius generis hosce potissimum enumerare libet modos: Curatio neuralgiarum Nervi sympathici aquae frigidae ad artis legem ordinatae potatione.

Qua de medendi ratione Petri, cui ut medico hydropathico peritissimo quam maximum habemus fidem, hancce affert luculentam sententiam[2]): „Sind die Erscheinungen der Nervenkraft in den dem N. sympath. unterworfenen Organen krankhaft erhöht, so setzt dauernde Einwirkung der Kälte sie herab. Die Erfahrung bestätigt es, dass oft wiederholtes und reichliches Trinken von sehr kaltem Wasser krankhaft erhöhte Bewegung und Empfindung in diesen Theilen, sowie den organischen Einfluss dieser Nerven mindert. Am zahlreichsten sind die Beispiele von Heilungen lediglich durch reichliches Trinken von kaltem Wasser in hartnäckigen Fällen krankhaft erhöhter Reizbarkeit in den Gangliennerven und den darauf beruhenden reinen Hirnleiden.“ Maxime est dolendum, hunc medendi modum, donec Anatomia pathologica nos docuerit, quanam affectione „nimia illa nervorum vis“ quam deminuere volumus, nitatur, puram tantum manere empiriam. Quae res, — quod Dii bene vertant! — in dies magis magisque simpliciores et perspicuiores redduntur, atqne haud paucae affectiones pathologicae quae antea et libentius et segnius dynamicis adscribebantur, recentioribus studiis materiales constitutae

1) Cf. ex innumerabilibus de hac re literis: De Bonis, Hydroposia s. de potu aquae in morbis. Neapoli 1754. (Liber gracilis gracilibus hexametris conscriptus!) Weisskopf, Theorie und Methodik d. Wasserheilverfahrens. Wien. 1847. Stuhlmann, Grundzüge d. Hydrothp. Hamburg 1850. Petri, Wissenschaftliche Begründung d. Wasserkur. Coblenz 1853. F. Hoffmann, De Aqua, medicina universali. In medic. rational. system. IX. vol. Halae 1739.

2) Petri, l. c. p. 111. seq. Wulzinger, Hydrologia. Passau 1839.

sunt. Fortasse in illis quoque quas affert Petri affectionibus Hyperaemia tantum organorum, uti Plexus coeliaci, nobis se obtulit, in quam frigus sub aquae bibitae forma clarissimam habere efficaciam sedantem consentaneum est. Proxime accedit frigoris sub Antiemetici forma effectus. Ordinantur enim glaciei particulae — singulae in quaternis horae partibus — ut vomitus supprimatur vel deminuatur, quando concutienti suo effectu vel optatum operationis cuiusdam eventum exstinguere vel in aliis morbis aegroti vires nimis deprimere possit. Accedit enim affectio illa ad diversissima morborum genera in quibus semper tutissime agemus, si, quotiescunque vomitus circumscriptio est indicata, ante reliqua omnia remedia glaciei particulas adhibemus, quum illis rarius aliqua contraindicatio, quae sita sit in reliquo organismi statu, incurrere possit.

Iam in malis spasticis organorum interiorum optimo interdum eventu aqua uti possumus. Omissa enim omnibus probata calidorum balineorum vi in doloribus parturientium orgasticis et tetanicis aliisque eius generis rebus, breviter commemoremus, methodum illam rarissime adhibitam in sananda Colica, [1]) cui excellentissimo modo simplicibus quae vocantur Prissnitzii fomentis adhibitis mederi possumus. Quem ad finem triplici utentes modo [2])

1) vel frigida et humida fomenta applicamus,
2) vel fomenta mediocriter aqua expressa operta pannis abdomini imponimus, donec calefacta sudoris profusionem eliciant, vel
3) ea adhibemus, quae evocata intorquendo aqua bene circumdata corpori pannisque obtecta imposita relinquantur, donec prorsus exsiccata cutem uti Emplast. Canthar. perpet. irritent.

1) Cf. Richter. l. c. p. 325.
2) Cf. Choulant, Spez. Path. v. Therap. Leipzig 1853. p. 934. Hufeland, Enchiridion medicum. Berlin 1836. p. 275 seq.

Quarum sanandi rationum primam antiphlogisticam, alteram sedantem, tertiam derivantem habere vim consentaneum est, sed generaliter omnes hae quum sedent symptomata iure optimo in sanandis malis colicis locum suum obtineant rationalem. Medici vero rationalis et periti est, quoniam nequaquam eundem effectum ex eadem oriri causa scire debet, ex illis eam semper methodum eligere, quae spectet ad causam morbi principalem.

Singularem convulsionum vel spasmorum modum in certis affectionibus Asthma esse contendi potest. Aquae igitur usum — praesertim balnei calidi — quum spasticae ramorum bronchialium affectiones mali causae videantur, salubrem habere efficaciam, ex illis quae supra diximus, luculentissime emergit. Recentiores scriptores, ut Canstatt et Romberg aquam praesertim in forma particularum glaciei magnam exhibere vim affirmant.[1]) Gravissime quoque fomenta frigida in pectus insita commendant, quam methodum et Oppolzer in Emphysemate optimam esse contendit,[2]) quum frigore aër in pulmonibus consistens secundum leges physicas in minus volumen reducatur. Quae omnes opiniones, si experimentis probabiles et verae fierent, omni cum iure nos impellerent, ut simplicibus illis curandi methodis uteremur aliaque probata et laudata remedia, ut Lobeliam inflat. et Daturam Stramon. reponeremus ad gravioras illius mali cruciantis formas.

Affirmat Klencke,[3]) aquae oxygenium in usu interno suctum ab intestinorum membrana mucosa in respirationis difficultatibus sanguinis decarbonisationem componere itaque illas difficultates tollere. En praeclara profecto doctrina praeclarumque remedium, si res tantum modo probata esset! —

1) Choulant. l. c. p. 790.
2) Zehetmayer (Oppolzer), Percussion u. Auscultation. Wien 1854. p. 168.
3) Klencke, Die äussere Haut und ihr Verhältniss zum Organismus. Leipzig 1839. p. 30, seq.

Non possumus, quin singularem casum quamvis exiguus esse videatur, afferamus ex quo praestantissimam et fere subitam aquae frigidae vim in nobismet ipsis spectavimus; eam enim Dysuriae spasticae formam dicimus quam ex Colli vesticae spasmo exortam, saepissime cerevisia recenti potata observare licet. Magno enim scypho (16—18 unc.) aqua quam frigidissima (4—6 ° R.) repleto uno haustu exsiccato, statim fere dolores illi vehementes, quos molestissimis suis incommodis poculorum gaudia contaminare iam multi suo damno sentierunt, exstincti sunt. Nullo modo potest dubitari, quin subito frigoris in nervos impetu acutus nervorum status vitiosus permutetur eadem fere ratione, qua aquae perfusionibus — quod infra pertractabimus — vel in aliis morbis vomitu similes effectus adducuntur.

Inter gravissimas aquae usurpationes usus eius in „calore mordaci“ cutis numeratur, symptomate illo accedenti ad febres exanthematicas aliosque morbos putridos, in quibus medici manus imposita molesto quodam magisque quam in aliis morbis febriculosis fervido aestu afficitur aegrotusque ipse per illam cutis conditionem quam gravissimis doloribus totius organismi cruciatur. Apparet enim cutis externae, totius corporis regulatoris, statum maximam habere vim in universas reliquarum membranarum et organorum agitationes. Quae vis, ut nobis quidem videtur, et dynamica et mechanica nominari potest. Quod pertinet ad priorem illam partem hoc tantum commemorare liceat, omnem in nervorum peripheriam irritationem directam effectum reflexivum in nervorum centra secum ducere necesse esse; et quod ad mechanicam illam vim pertinet, etiam facilius intelligi potest, cutis aridae partes cum telis subcutaneis quae omnes summopere sunt turgidae ac spastica, e aquae frigidae applicatae vi adeo contrahi, ut sanguis ex peripheriae vasibus capillariis ad interiores partes, ad corporis centra, pulsetur. Qua vasorum contractione sanguinisque motione

totius corporis nisus relatus (Reaction) movetur atque sanguis refluens maiore vi, cutem sensim extendit atque efficit, ut mollior ac minus singularis illa facta iterum excernat itaque nulla iam organismo sit causa, qua magis quam omnibus ceteris symptomatibus crucietur.

Quo effectu quin ad aliquod temporis spatium calor mordax reiiciatur dubitari nullo modo potest. Sed proh dolor curatio symptomatica hanc levationem transgredi non videtur. Quam methodum ante multos annos Schoenlein et Currie[1]) optimam esse ad perfectam febrium exanthematicarum curationem affirmabant. Sed haud probata illa sententia videtur quum, id quod nos quidem putamus, ab omnibus fere, quoad plane et immediate sanare velint, sit reiecta. Ceterum hanc rem infra copiosius pertractare in animo habemus.

Recentiore tempore autor quidam[2]) dyscrasiam potatorum coniunctam cum tremore musculorum, insomnia, convulsionibus, hallucinationibus, cardialigiisque insistentem aqua curari posse affirmat. Quinque enim casus enumerat, in quibus optimum illa habuerit eventum. Libenter accipimus, hancce curandi rationem — ex causis bene cognitis quas partim iam demonstravimus, partim infra exponemus — maximi esse in delirio potatorum momenti, si quidem pestiferam causam moventem simul removere possumus, quod nisi in nosocomiis hydrotherapeuticis vix fieri potest.

Sedans aquae efficacia artificioso modo quibusdam in casibus augetur ad prorsus anaestheticam vim. Permulti recentiores artis medicae scriptores hac de re afferunt narrationes et propositiones.[3]) Nosmet, quod ex nostris experimentis videre possumus, quae cum glaciei et Chlornatrii mistionibus

1) Cf. Currie. Ueber die Wirkung des kalten u. warmen Wassers. Deutsch von Michaëlis. Leipzig 1801 u. 1807.
2) Cuius rei scriptores cf. Prager Vierteljahrscrift 1853. 1. Bd. p. 4.
3) Mecklenburg, Preuss. Vereinszeitung, 1859. N. 40.

cumque glacie pura fecimus, perinde probamus, quae generaliter narrantur: longiorem frigoris cuiusdam gradus effectum in cutem plana vasorum capillarium exanitione, profecto sensum ei deducere posse. Sed quod nonnulli putant scriptores, huius rationis vim latissime patere, nobis quidem non videtur esse verisimillimum. Primum enim ut in doloribus continuis continuo deduceremus sensum, continuam quoque frigoris vim nos adhibere necesse esset, qua ex re facillime Sphacelus partium tractatarum oriatur, deinde illa methodus in omnibus illis neuralgiis — et eae quidem sunt pleraeque — quae secundum legem effectus excentrici Muelleri excentro in peripheriam irradiunt, nullo modo aliquam vim habere potest, quum tantum cessante causa cesset quoque effectus, doloresque vero sese recipiant in profundiores peripheriae regiones a frigore intactas. Aliter res sese habet, si ipsum malum a frigore attingi potest, quin hoc in casu princeps remedium haberi potest aqua (non minus ac Veratrinum), id quod ex Ischiadis curatione ex parte iam demonstravimus. Hunc minus excellentem effectum prae se feret aqua sub forma frigoris, si operationes quaedam leviores in corpore humano, ut amputatio digitorum etc. sunt exsequendae.[1]) Quibus in casibus adeo frigus membris deducit sensum, ut in singulares partes idem effectus fieri videatur, quem per Chloroformum interdum in universum proferimus organismum.

---

## De aqua remedio eliminanti.

In priore disputationis parte postquam quantam qualemque habeat vim aqua extrinsecus adhibita exposuimus, hocce in capitulo haud minorem eius effectum in usu interno cagnoscemus.

Praecipue enim aqua sub frigidae potionis forma —

1) Cf. Schmidts Jahrbücher d. ges. Medizin. 1852. Nr. 12. p. 309.

ceterum cum omni lavationum genere coniuncta, quum cutem quoque aquam resorbere constet, — in nosocomiis hydrothp. optimo cum eventu utuntur. Qui aquae frigidae usus internus secundum leges physiologicas hic esse videtur: Aqua bibita, quae 10—12° R. exhibet calorem — est enim haec vulgaris aquae fontanae temperatio — in corpus inducta cum eius damno ad 28—30° R. calorem augetur. Orientem inde caloris deminutionem organismus quae sunt leges reactionis, quum reficere aggrediatur, aucta tantum materiae permutatione, quae patet ex amplificato aëris ciborumque appetitu, id assequi potest. Qua materiae accelerata permutatione quum secretionum excretionumque auctionem adduci necesse sit, et physiologicae et pathologicae materiae celeriori subiectae sunt eliminationi, ut hoc modo, si verbis audacia detur, corpus reficiatur semperque vigorem iuvenilem nanciscatur. Qui effectus ex universa curandi ratione necessario sequitur, quum ea id spectemus, ut aucta urinae, faecum, sudoris etc. profusione corpus et expurgetur et accommodatis nutrimentis reficiatur. Cui rei connexum videtur quod nonnulli autores contendunt, aquam sanguinem diluere; nos quidem nihil aliud sub hoc verbo intelligi posse putamus. Neque vero dubitandum est, quin medicus practicus apud multos aegrotos, quorum mala ceteraeque conditiones non repugnent, similem curationis rationem sequi atque hac methodo naturae aptissima eadem consequi possit, quae sub aliis conditionibus remediis quae vocantur Acria alterantia vel eliminantia efficere soleat; prudenter vero eum singulorum et corporis et mali naturam observantem agere debere clarissime apparet. Quae medendi ratio nullo modo iis in casibus valet in quibus malum dyscraticum cum anaemia, natura laborantis propensa ad affectiones hydropicas, cum debilitato aegroti statu coniunctum invenimus, sed optimum eventum habebit in omnibus erethicis dyscrasiae chronicae formis. Immoderatam quo-

que diuque continuatam aquae frigidae potionem quam nonnulli medici praecipiunt, sine ullo dubio tonum stomachi telarum adeo debilitare, ut pernoxio modo concoctio impediatur, necesse videtur.[1])

Recentiore tempore aquae bibitae effectum ad augendam salium in urina copiam vehementer addubitabant. Qua de re Scherer hancce exhibet sententiam: „[2])Das Trinken hat wohl einen entschiedenen Einfluss auf die Wasserabscheidung durch die Nieren, allein die Entleerung von festen Stoffen wird dadurch nicht befördert, sondern vermindert. Aehnliche Resultate haben auch schon Bidder und Schmidt in ihren Versuchen über den Stoffwechsel erhalten.“ Quae tantorum virorum nomina illaeque res sententiam nostram probare saepissimeque aquae in Arthritide commoda, in qua sanguis residuum salium in urina normaliter repertorum contint, ad vanum referre videntur. Putare quidem possimus, sales illos alia via aquae efficacia ex corpore removeri, sed hoc nondum probatum neque verisimile videtur. Nihil igitur aliud restat, quam ut aquam tantum mediate, ut supra jam indicavimus, sales supervacaneos ex corpore removere credamus, hac quidem ratione, ut eos quoque in materiae permutationis acceleratae circuitum universum inducat minusque, ut autores credebant, specifico quam symptomatico modo per totius corporis excretiones extrudat. — Mirabilis profecto methodus quaedam qua sales acidi qui in Arthritide sanguinem delutare videntur, aquae opera ex corpore removentur, suo tempore maxima animos admiratione excitavit. Medicus quidam Francogallicus, Cadet de Vaux, se hancce sanandi rationem secutum esse indicavit [3]): Iam insistentibus articulorum doloribus aegrotum

1) Oesterlen, l. c. p. 790. Vetter, in Schmidt's Encycl. d. Med. IV, 570. I, 395.
2) Scherer, in Canst. Jahresb. 1853, 2. Abth. p. 67.
3) Cadet de Vaux, Neue Heilmethode der Gicht u. d. Rheumatismus. Aus dem Franz. v. Köchy. Ilmenau 1826.

in lecto collocatum per quaternas horae partes 7—8 aquae uncias calefactas ad 45—50° R. devorare iussit. Quam immanem potationem per 12 horas, ita ut 48 pocula sumantur, continuari dicit. Iam liquet interim turbidissimas morbi et curationis notas excitari, alvum, nauseam, inflationes, urinae profluvium, vomitum biliosum et mucosum, profusam transspirationem et haec quidem omnia pessime olentia atque cum doloribus vehementibus ventriculi coniuncta. Quo modo corpore exhausto aegrotum antea fere exstinctum prorsus refici, plerumque perfecta hac horrida curatione levem senti ciborum appetitum, quem expletum somnum sequi recreantem. Cuius methodi eventus quos C. d. Vaux se consecutum esse contendit, considerantes facile ut illi medendi rationi quam maximam haberemus fidem adduci possemus. Non minus enim quam 27 morborum expositiones, in quibus luculentissime ea sit probata, enumerat. Veterum autorum de naturae morborumque discriminibus praecepta probatumque illud experientia, urinae acidos sales calida tantum aqua dilui ad hos casus referentes rem quam maxime probatam esse putabimus. Sed quomodo contigit, ut medendi ratio quae tantum in morbo antea insanabili effectum prae se tulerit, hodie ab omnibus fere ignoscatur, a nemine adhibeatur? Gravissimas huius rei causas afferre possumus. Primum enim cuiusque est medici intelligentis, omnia quae nova et quasi buccina enuntientur, et praecipue quae a Francogallis praedicentur, omni dubitationum genere caute admodo inspicere semperque in animo habere, plurimos novarum rerum inventores bona tantum procreationum, non vero mala spectare. Eos tantum qui bonum exhibuerunt eventum casus enumerant, reliqui oblivioni traduntur et sepulcro. Iam multa eiusmodi quae nitantur hoc principio, in methodo quam affert C. de Vaux, perspici posse videntur. Sonant enim omnia tam effuse, tam belle, ut quum insolita rei

species tum praecipue experientia hausta ex artis medicae historiis, quibus quam saepe quamque vehementer mundus eiusdem fere modi praedicationibus sit deceptus discimus, suspicaciores nos reddat sit necesse.

At vero latissimis etiam argumentis pathologicis methodus illa maximam partem refutanda videtur. Dubitari enim non potest, quin hac curationis ratione aegroti vitam in summum discrimen vocetur. Si aegrotum magno annorum spatio debilitatum, si gradum atque vim bibendae aquae, si denique subitam ex omnibus corporis partibus excitatam revolutionem animo complectimur, omnes profecto nobiscum consentire putamus, quum hanc curandi rationem et apud validissimum quemque dissuadendam censeamus. Iam vero certissimas facillimeque comprehandas contrindicationes methodo illi obsistere videmus:

1) In omnibus organicis viscerum malis,
2) in complicationibus nervosis,
3) in natura ad congestiones versus cerebrum prona.

Quod ceterum methodus illa — aut ut rectius loquar — pars quaedam ejus nequaquam prorsus sit reiicienda, ex eo apparet, quod saepius clarissimi inter medicos optimo cum evento ea usi esse videntur. [1]) Ita ut afferam exemplum ill. Wutzer ipse se aliquando methodo illa sed deminuta cum optimo exitu usum esse confirmat. Quoad nos rem contueri possumus, haec praecipue sunt animadvertenda: Primo quamlibet contraindicationem quam attulimus antea abesse necesse est, deinde copia aquae deminuenda et in diversa temporis spatia, id est in effectum increscentem dividenda, denique medicus, dum aegrotus magnam aquae calidae vim consumit, pulsum ceterumque laborantis statum caute et continuo observare debet. Tertia praecipue conditio quam nullo modo omitti posse putamus, curationem illam ad paucos casus referre videtur. Quae quamquam

1) Cf. **Richter**, l. c. p. 312.

ita sunt, maiore tamen digna est curationis haec ratio aestimatione, quam experta est in proximo annorum spatio.

Quidam scriptores aquam frigidam vel glaciem Anthelminthicis remediis substituendam esse censent. [1]) Qua de re haec Meissner: „Pari modo potus aquosus, ut supra diximus, ad eliminandos vermes intestinales aptus est; observationibus enim compertum habemus, entozoa inter contactum aquae frigidae et magis etiam nivalis vel glacialis statim rigida immobiliaque fieri, aqua vero calida mobilitatem recuperare. Quare usus internus aquae frigidae vel glacialis in Helminthiasi eam meretur existimationem, ut innoxium remedium anthelminthicis ex ordine drasticorum totum corpus conturbantium depromptis satis apte praemitattur.“ Quae medendi ratio utique, si probanda videtur, magna certe habet commoda, sed verendum est, ne in plerisque casibus frigus helminthes vix attingat, quum praecipue in media tractus intestinorum parte versentur et temperatio remedii simplicis sive per os sive per anum inducti iam corporis calore sit diminuta. Tantum adversus Oxyurum vermicularem, qui versatur in Intestino recto, haec methodus, quoad nostra quidem experientia probata videtur, propriam suam vim exhibet.

---

## De aqua remedio tonico.

Aquae ut tonici remedii usus eandem varietatem, quam, applicatio eius in morbis iam descriptis exhibet multisque in casibus eodem excellenti modo satisfacit operae nostrae. Peculiariter hic frigida aqua in telarum actionem vim exercere possumus, quam sub certis conditionibus Ferro, Nuce vomica, Acido tannico parare solemus.

1) Dissertat. inaug. Berolini 1853. p. 26.

Praecipue aqua immediate i. e. in telas aegrotas ipsas adhibita tonicam vim suam approbat. Mera quidem hydrotherapia aquae frigidae potioni lege artis ordinatae reficientem in nervorum actionem effectum addicit, sed putamus, in hisce casibus, in quibus eventum sese ostendisse constat, eum potius ceteris quibusdam rebus accedentibus aquae potioni, ut diaetae, multis in aëre salubro corporis ambulationibus etc. esse adiudicandum. Profecto enim dubitari non potest, quin cotinuata aquae potione stomachi membranae extendantur et relaxentur, succus gastricus magnopere extenuetur itaque potius cohibeatur quam augeatur ciborum bona concoctio. In eo casu tantum quem iam attigimus, aquae usum indicari putamus, quum hic nervorum vis non augenda sed deminuenda videatur. Qui in altera rerum conditione frigoris effectum tonicum afferant, cogitent, frigus perbreve tantum tempus, nisi uno velut tenore aquam aegroto inculcare velint, perdurare posse, quum calidiore stomachi temperatione exstinguatur stomachique inundationis per aquam incommoda semper utilitatem fortuitam incertamque superent. Quocunque modo haec sese habent, sine ullo dubio, si tonicis remediis utimur neque aqua inundamus stomachum et melius et tutius rem tractemus.

Omnes externi aquae usus methodos si enumerare aggrediamur, universum fere Pathologiae campum perlustrandum esse putemus. Efficacem enim aquam esse videmus sub frigidorum clysmatum forma in intestini recti propinquarumque corporis partium morbis in ani prolapsu etc.; sub iniectionum forma magnopere videmus eam valere ad sedanas sanguinis profusiones — in metrorrhagiis utrum immediate adhiberi possit necne haud satis inter viros doctissimos constat —[1]); deinde ad corroborandas singulas nervorum

1) Cf. Kilian, Die Geburtslehre. Frankf. a/M. 1847. 2. Bd. 2. Thl. p. 540, 552 und 634. Autor clariss. panum aquae frigidae immersum genitalibus imponere iniectionesque frigidas in intestinum rectum tantum commendat, ne iniectionibus in vagi-

regiones; in Ischuria paralytica frigidam adhibent duciam (Douche) frigidasque in Osse sacro lotiones, denique ad sanandas rachiticas Spinae dorsualis, ut alterius corporis partis musculi corroborarentur, in luxationibus, quae ex ligamentorum resolutionibus originem ducunt, contra Emphysim ex causa Catarrhi chronici; sub frigidarum lavationum forma apud tales quorum cutes permagna ac continua sudoris profusione aliisque eiusmodi causis nimis sensibiles factae semperque ad morbos rheumaticos et catarrhales sunt pronae. Quas lavationes aquae quam frigidissimae sed eas apud fornacem calidam adhibitas contra omnes perfrictionum proclivitates optimo esse eventu ex nostra experientia, in nobis ipsis facta, affirmare possumus. Perfectissima enim resistendi facultas statum illum excipit, in quo levissima quaeque aura omnibus Catarrhorum terroribus nos afficere potuit.

Aquam ut remedium tonicum considerantes unum praecipue morbum spectamus quem nostris temporibus omnium studium intendere necesse est, quum eadem dolorum pertinacia interque eruditos et literarum studiosos homines propagationis vi sese ostendat. Haemorrhoides dicimus cum omnibus formis malisque quae eas comitantur et sequuntur. Supervacaneum est, morbi illius naturam therapeutica pertractare diiudicatione, quum ill. Naumann, quae eius in nos est liberalitas ac benevolentia, hac morbi narrationem sumptam ex diariis suis nobiscum communicaverit, qua magis, quam omnibus theroreticis disputationibus permagna aquae vis perspiciatur: „H. d. G., annos 42 natus in exercitu Batavorum nonnullos annos stipendia fecit atque expeditionibus in Iava et Sumatra insulis interfuit. Quo tempore aliquoties Febribus intermittentibus denique Dysenteria implicitus est, quas secuta est Hepatitis. Quanquam

nam factis uterus iritetur ac coagula perinde necessaria subluantur. p. 550. Scanzoni, Lehrbuch der Geburtshilfe. Wien 1853. p. 513.

haec non in pusulentam inflammationem versa est, tamen talis tantisque doloribus connexus hepatis tumor institit, ut aegrotus in Europam redire cogeretur. Semel iterumque frequentatis balneis quae sita sunt in Bohemiae oppido Marienbad, hepatis tumor paene exstinctus est, sed eodem fere modo sanguinis profusiones haemorrhoidales formabantur. Inter has profusiones quae post quaternas usque hebdomades redierunt, inferioris Intestini crassi hyperaemiae status mansit qui cruenta extravasata in tela submucosa vehementesque externarum venarum haemorrh. varices excitabat. Inter anni spatium orificium ani deforma massa nodorum haemorrhoidalium immanium prorsus clausum est. Orificium adeo erat coarctatum, ut aegre digitum minimum — qua re vehementissime aegrotus excruciabatur — inducere possis. Quo factum est, ut alvus maximis aegrotum afficeret doloribus continuoque eum diversa remedia purgantia adhibere cogeret. Nodi saepius in superficie inflammati sanguinem profuderunt partimque detecti erant acri diphteritica pessimeque olenti exsudatione. Quum omnes adhuc medendi rationes malum non modo non sanassent, sed etiam in deteriorem partem vertissent, omnibus omissis remediis sub severa diaeta uberioreque promorum et aquae frigidae usu externam per aquam curationem admittere constitui. Demisso animo consilium accepit, quum eum non celassem post nonnullas tantum hebdomades recreationem animadverti posse. Clysmatum ex frigida aqua applicatio primo non successit vel potius propter nimiam aegroti sensibilitatem continuari non potuit. Fomentis demum aquae Plumbi plane frigidae adhibitis per nonnullos dies, experimentum meliore cum successu repeti potuit. Primo aegrotus parvam aquae patellam aegre per horae dimidium retinere potuit, sed sensim per unam immo per duas horas. In singulos dies bis repetita balnea inferioris corporis partis (Sitzbäder) mirum est, quantum profuerint aegroto. Post

septem hebdomades laborans quinque amplas patellas aquae frigidae refertas per totam noctem retinere potuit. Tempore matutino semper una vel duae largae intestinorum inanitiones factae sunt, inde a quarta curationis hebdomade nodi detumescere inceperunt et post quartum fere mensem radicitus exstincti erant. H. S. valetudinem recuperaverat recuperatamque usque ad hunc diem retinuit. Adiiciendum est, hyperaemiae Hepatis et viritationis notas, quum nodi haemorrh. detumescerent, atque hyperaemia in Intestino recto deminueretur, saepissime apparuisse sed calidis cataplasmatibus, Colomel continuatoque kali acetici usu oppressas, atque continuato demum fontis quem vocant Franz-Egersbrunnen usu prorsus esse exstinctas.

Iame lucet triplicem hoc in casu aquae efficaciam excellentissimam fuisse: primum extensas venas haemorrhoidales sensim coarctavit aqua, deinde sanguinis motionis vim in Venae portar. systemate excitavit, denique plethoram abdominalem extenuatione deminuit. Videmus igitur, aquam in malis haemorrhoidalibus magnum remediorum antihaemorrh. numerum superare. Quanquam confiteri debemus, fortasse non semper luculentos illos effectus nos esse adepturos, quos ill. Naumann, quum proh dolor etiam praestantissima quidem remedia interdum nos deserant, tamen enisi experientia theoriaque contendere possumus, aquam frigidam iunctam cum diaeta accommodata in primo antihaemorhoidalium loco esse ponendam atque praecipue in omnibus morbi formis ac stadiis esse adhibendam. Melius quidem esse prophylacticum in morbo illo haereditario, quum sensim se explicare incipiat, nos quidem negemus. —

Similes aquae frigidae eventus ill. Naumann in altero quoque casu consecutus est, in quo, quanquam mali pathogenia non tam certa fuit, quam in priore casu, tamen curatio symptomatica eosdem praeclaros effectus exhituit. Qua in curatione quum aqua inprimis ut remedium tonicum

adhibita sit, morbi narrationem hoc loco optime nos allaturos putamus:

K. Th. 28 annos nata sex annos nupta erat. Ante initum connubium perfecta usa valetudine rarissime modo conditionibus aegrotis celeriter praetereuntibus laborabat. Primus partus versus primi connubii anni finem factus et matri et infanti prospere cessit. Prorsus intacta valetudine fruens aegrota ad tertii anni medium alteram gravidatem confecerat. Uterus Liquore Amnii valde fuerat extensus, praecipitanter modo infans natus est vivus sed debilis maleque nutritus. Partum sequebantur vehementes metrorrhagiae quae vel minima ex causa revocabantur et quinta demum inde a partu hebdomade cesserunt. Interea valde utero inflato, doloribus molestissimis in regione Ossis sacri, in alvo cruribusque se cruciari aegrota querebatur. Manui admotae uterus turgidum fervidumque statum ostendit, valde immissa pelvis levissima applicatione dolore est affecta, orificium mediocriter patefactum, copiosae uteri et vaginae excretiones. Septima post partum hebdomade menses redierunt qui post undenos, ternos denos, septenosve denos dies reversi in fluorem album copiosum diluebantur sensimque in metrorrhagiam conversi uno anno praeterito aegrotam valde emaciatam, debilem sanguineque carentem reddiderunt. Vehementes articulorum dolores qui praecipue noctu insistentes quum omnes invicem articulos afficiebant tum praecipue in genu, cubito manuque saeviebant, magnopere ut foemina omnino debilitaretur effecerunt. Accedit quod cutis arida abiit continuo in squamas. Postquam per dimidium anni medicorum curationi aegrota sese subiecit, status in deteriorem partem erat conversus. Aegrota ciborum fastidio atque insomnia laborans magnopere erat demaciata pulsum que parvum et celerem exhibebat. Sanguinis ex utero profusiones fluorque albus nullo modo impediri poterunt. — Primo aegrotae corpus frigidis pannis circumdatum est, cute

ante vehementer atterendo arida facta. Post nonnullos dies hac curatione sudor elici potuit, qui mox vehementer profundebatur. Quo impetrato quotidie, aegrota in calido balneo collocata, aqua frigida spina dorsumque perfundebatur, praeterea mane ac vesperi aqua in genitalia iniiciebatur frigidaque fomenta alvo imponebantur, quae res praecipue sub vesperum tres vel quattuor horas continuabatur. Cui curationi coniuncta diaeta corroborans. Ex medicamentorum numero aegrota tantum Mixt. sulf. acid., quotidie drachm. dimid. usque ad unam fere per duos menses et in primis hebdomadibus sub vesperum Ext. Opii gr. dimid. recipiebat. Post tres menses aegrota excepta exigua pressura atque gravitate sensibili quam sequebatur exiguum profluvium mucosum, valetudine fere perfecta fruebatur. Menses per ternas hebdomades redierunt neque erant profusi. Aegritudinis reliquiae balneis ex lixivio Crucinacensi duos menses adhibitis prorsus exstinguebantur. —

Praeclarissimo cum effectu aqua ut remedium eliminans sese praeberet, si, quod I. Arnott recentiore tempore contendit,[1]) luxuriationes cancrosas cohibere atque opprimere posset. Affirmat enim hoc eo effici, quod continuate frigore adhibito cellulae carcinomatis, quum omnis vitae vis in iis perderetur, vietae atque atrophicae fierent. Quod quanquam in aliquot casibus feliciter, ac mature curatis factum esse concedimus, tamen hac de re eandem certe illam sententiam valere credimus quam exortam ex experimentis de morbis exanthematibus protulimus. Nam si simplex atque innoxium quasi Ecrema saepissime aquae frigidae opera exstingui non potuit, sine ullo dubio permulto difficilius id in Carcinomate pestifero atque atrocissimo illo morbo fieri posse in prompto est. Chirurgi manus in tali rerum conditione sola est atque ultima ratio.

1) Treatement of cancer by congelation, in the Lancet. 1854. Vol. I. Nr. 15. p. 414.

## De aqua remedio irritanti.

Quum ut tonicus status excitetur iam irritatio quaedam ponatur, consentaneum est aquam quam tonicum remedium esse iam satis vidimus, sub certis conditionibus certisque formis irritantes vires et habere et explicare posse. Iam supra attulimus frigus organicas attingens formas partes contrahere, illamque contractionem in animali organismo regredientem sequi actionem qua aucta affectarum partium adduceretur vitalitas. Deinde apparet irritationem illam alienam auctamque vitalitatem plerisque in casibus vivas motiones recentesque agitationes posse evocare, ita ut uno aquae stimulo facto series quasi magna recentium stimulorum sese ostendat. Itaque aquam meram secundum cognitam illam methodum adhibitam quam Cohen recentiore tempore ad partem arte praematurum provocandum descripsit aut ad excitandos post partum dolores,[1]) Secal. cornuti effectum exhibere apparet;[2]) frigidam aquam remedium esse optimum ad excitandam motionem peristalticam contra faecum accumulationem in intestino recto, contra intussusceptionem intestini ilei, in herniarum incarceratione videmus; quin Priessnitz aquam ad vomitum excitandum nobis maxima cum gravitate commendat.[3])

Ceterum vel in methodo stimulanti medico innumerabiles sese obiiciunt casus in quibus aqua ut simplicissimo et, si efficacem sese praebet, utique optimo remedio irritanti magno cum emolumento utatur. Certam aquae utendi methodum cuius iam fecimus mentionem quum ea gravissime fere longissimeque propagata sit, accuratius pertractare liceat, — externum dicimus aquae in febribus exanthema-

1) Cf. Kilian, l. c. p. 545 et 607.
2) Ducia illa calida quam Kiwisch commendat sine dubio eo quoque ostendit efficaciam illam cognotam, quod copiosiorem ad uterum sanguinis profusionem excitat.
3) Cf. Richters Organon p. 327.

ticis, praecipue in Typho et Scarlatina usum. Quum de aquae sedanti effectu disputavimus, illustravimus eam praecipue ut radicale remedium adversus morbos illos adhibitum.

Primus Iames Currie typho abdominali aqua medebatur, cuius curandi causam aquae illa vis indicavit, qua, id quod facile intelligi potest, stimulo suo efficaciam exhibet irritantem in illis gradibus typhi quibus aegroti animi viribus paene exstinctis et respiratione, ut in cerebri per corpus alienum gravitate, stertente maximo soporis gradu laborant. Remedio nostro adhibito praeclarissime et vires conservantur novoque quodam impulsu afficiuntur et, id quod iam commemoravimus, intolerabilis cutis calor mordax deminuitur. Consentaneum est symptomaticam hancce curationem pro priore illa medicamentorum pastione optimum eventum exhibuisse. Itaque factum est, ut recens curandi ratio brevi tempore viam aperuerit; sed praecipue Schoenleinio laudi est habendum quod primus eam inter Germaniae medicos propagavit. Hoc fere modo nunc illa utuntur: Aegrotus in calido balneo ita est impositus, ut superior corporis pars non mergatur in aquam. Deinde 6—7 minutas de 6—8 pedum altitudine aqua profunditur 4—6 ° R., ita ut aquae radius caput spinamque minus thoracem attingat. Necessitate oblata dein frigida fomenta sub forma bullarum glacie farcitarum capiti imposita continuo adhibentur. — Aliam adhibendi rationem qua morbi discrimen quam maxime acceleratur, Sch. commendat. Aegrotus usque ad umbilicum collocatur in balneo tepido cui apud homines defatigatos decrepidosque herbae ac radices aromaticae atque infusiones Chamomill., Colam. etc. affundi possunt. Reliquas corporis partes 10—15 minutas aqua 27—28° R. ita profunduntur, ut radius de 10—12 pedum altitudine in corpus decidat. Deinde aegrotus detersus in lecto collocatus leviterque operitus remedium aliquod diaphoreticum lene recipit, ut pulv. Doveri, infus. Chamomill., flores Arnic.

cum Ammon. acetic. vel succin. portiuncula. Quae perfusiones continuandae sunt donec ad diem vicesimam unam discrimina admodum sint explicata. — Alium aquae usum eumque haud minus intentum alii autores hoc modo sequuntur: Mappas igitur aqua frigida irrigatas in inferiorem alvum frontemque aegrotorum humidis pannis amictorum imponendas easque per singulas vel binas horas renovandas curant; deinde aegrotos frigida aqua lavari perfundique eamque bibere eos iubent; postremo frigida aqua diversissimo modo utuntur.

Sed quaeritur, quibusnam in casibus atque quonam modo aqua in morbis typhosis adhibenda sit. Quibusdam in statibus frigidae perfusiones calidis anteponendae sunt, praecipue quum cerebri hyperaemiae signa vehementissima indicantur, aegrotus facie livide rubefacta oculisque iniectis perpetuo tenetur sopore simulque cutis fervida turgescens aridaque tactu exploratur. Iam Currie nitebatur, ut frigidae perfusiones tantum adhiberi possent, quum cutis temperationem gradum legitimum superare et thermometro et aegroti explorantisque medici sensu indicaretur. Maximum eventum mature adhibitae perfusiones exhibent. Sed obstant eis pectoris incommoda vel inflammationes certo loco inhaerentes. Etiam tum evitandae sunt, si iam exstat transspiratio vel aegrotus frigore se affectum esse queritur.

Pari mòdo Currie scarlatinae medetur. Singulos enim laborantes scarlatina, dum febris nascitur, aqua perfundit, ut primum aridus fervidusque cutis calor ad 32—38°R. ascendit, deinde aegrotum in vanum aleum imponi atque de capite 4—5 amphoris aquae frigidae perfundi iubet. Saepius per diem vel post nonnullas horas perfusiones renovantur quotiescunque temperationis deminutio quae mmediate singulas perfusiones sequitur, arido fervidoque calore repulsa est; eadem enim ratione, ut caloris gradus, perfusiones suam exhibent vim. Immo aliquoties per quattuor

et viginti horas decies vel duodecies eas repeti necesse est. Iam nimio calore admodum deminuto, Currie per maiora temporis spatia frigidis utitur perfusionibus vel ex tepida aqua eas parari jubet. Ad internum usum potiones frigidas acidasque recipit aegrotus emulsionesque tenues, astricta alvo Calomel. Aliquoties perfusiones imbecillitas oculornmque vertigo continuo sequitur, quae signa, dum postea aegrotus a frigore servetur et in temperatione modica semperque pari habeatur, terrorem medico iniicere non debent. Sequuntur perfusiones debilitas, infirmitas, quietis somnique desiderium; etiam si vires admodum debilitatae videantur, nihil est timendum, dum enitamur, ut aegroti in lecto calorem recuperent atque indulgeant quieti. Tertio quartove die aegrotus sanitate ita restituta utitur, ut angina non in alcerationem transeat morbusque ipse multo mitiorem sese praebeat. Haec quidem Currie et sectatores affirmant.

Quanquam illam typhi et scarlatinae curationem a viris qui maxima inter artis medicinae perítissimos autoritate valent, indicari atque adhiberi videmus, tamen fieri non potest, quín sententiam ad nonnullas partes aliter conformatam proferamus.

Primum enim afferre liceat, frustra quemquam secundum nostri temporis experientiam ullo remedio morbos ut typhum vel scarlatinam immediate repulsare aggredi. Non minus inepta nobis videtur ea intentio quam illa, ut quod nonnulli volunt medici, remediis quibusdam specificis iisdem morbis praeveniant: Morbi enim illi plane eiusmodi videntur, ut, quando inceperunt legitimam suam explicationem, iusta quoque sua stadia expetant. Quo factum est, ut nulla usque indicatarum methodorum quae vocantur „Coupirmethoden“ probata sit. Sed nequaquam medicus compressis manibus hisce in morbis sedeat, sed accomodata curatione quae exspectet atque obsvervet sin-

gulas morbi notas eius explicationem ita moderet, ut signa aegrotum non exstinguant sed natura eius vires, quibus causam moventem mali quaeque eam sequuntur superet, retineat. Quo in remediorum „symptomaticorum“ numero aqua sub variis formis huic indicationi optime respondeat. Si aegrotum cerebri hyperaemia signis, faciei colore livide rubefacto, oculis injectis, calore mordaci cutis affectum apparet, tunc praecipue indicata est aquae praeclara vis.

Sed dolendum est medicum non semper praestantissima hac stimulanti methodo uti posse, quum opiniones eruditorum falsae, ignorantia rerumque domesticarum debilitas vulgi methodum fortem magnopere impediant. Satis igitur habere debemus frigidas lavationes quibus adiungere possumus Chlorum vel Acetum cranioque ex glacie fomenta imposita. Quas lavationes in iis casibus, in quibus vel internorum organorum inflammationes — intestino ilei, quod consentaneum est, excepto — accesserint vel homines valde debilitati liberique curandi nobis sint traditi, praeferendas aut certe maxima cum cautione superfusiones esse adhibendas, iam supra commemoravimus. Maximam enim nostram cautionem exhibet praeterea nonnullorum autorum sententia, quorum de aqua in scarlatina adhibenda magnopere contraria est observatio. Eandem vim symptomaticam, immo eodem modo, aqua in cholera asiatica exhibet, illo tantum discrimine interposito, ut, quum hic multo intensiora sint signa mali, maiore quoque cautione vehemens illud remedium irritans sit adhibendum.

Maxime insignis atque huic disputationis loco aptissima quam Hoppe affert annotatio videtur. [2]) Frigida enim balnea et lavationes multis in casibus animi vires vehementer corroborare ac reficere hocque modo mediate in

1) Gregory, Vorlesungen über d. Ausschlagsfb. etc. Deutsch von Helfft. Leipzig 1845. p. 108. seq.

2) Hoppe, das Princip der geistigen Erhebung des Menschen in der prakt. Heilkunde. Bonn 1846. p. 16.

ipsis malis admodum valere putat. Eadem igitur ratione quum nitatur quam Kant sententia illa bene cognita clarissima protulit, hominem ipsa voluntate multos morbos supprimere posse, curationes hydrotherapeuticas ad hunc finem quam aptissimas esse censet. Aliquid veri quin rei insit, dubitare non possumus, sed utrum pateat tantum quantum declaratur Kantii sententia, longe alia est quaestio quae modo apud homines eodem ingenio praeditos ac vir ille clarissimus sit supervacanea. —

# Vita.

Natus sum **Carolus Binz**, anno 1832. die 1. Julii, Beronis-Castelli, oppido ad Mosellam fluvium sito, patre **Petro Francisco**, matre **Agatha** e gente Day, quos jam puero mihi ereptos lugeo. Fidem confiteor catholicsm. Primis literarum elementis in Gymnasio Trevirensi quod directoribus doctissimis atque humanissimis **Wyttenbachio** et **Loersio** maxime florebat, imbutus atque testimonio maturitatis munitus, ineunte anni 1851 auctumno Herbipolim me contuli, ut studiis medicinae artis incumberem. Inde ab illo tempore et Herbipoli et Bonnae per quadriennium medicorum scholis adfui, Herbipoli per tria spatia semestria ill. virorum: **Bamberger, Kölliker, a Marcus, Moravek, Narr, Scanzoni, Scherer, Schmidt, Virchow.**

Bonnae per quinque spatia semestria: **Albers, Budge, Kilian, Knoodt, Mayer, Naumann, Nöggerath, Treviranus, Troschel, M. J. Weber, C. O. Weber, Wutzer.**

Quibus omnibus viris illustrissimis gratias ago quam maximas.

# Theses.

1. *Nihil est quod differat inter nutrimenta plastica respiratoriave.*
2. *Haud raro in Pneumonia sanandi ratio symptomatica optima.*
3. *Ad sanandas hernias Wutzeri „Invaginatorium" omnes alias methodos valde superat.*
4. *Excisio ad polypos uteri curandos plerumque ligaturae praeferenda est.*
5. *Quod nonnullarum civitatum legibus imperatur, ut statim post creditam gravidae mortem sectione caesarea foetus ad lucem proferatur, nullo modo probandum videtur.*
6. *Nullus animi morbus nisi mutata materia.*